

ita sublata spe veniae tandem sumite animum, tam quibus
 5 salus quam quibus gloria carissima est. Brigantes femina
 duce exurere coloniam, expugnare castra, ac nisi felicitas in
 socordiam vertisset, exuere iugum potuere: nos integri et
 indomiti et in libertatem, non in paenitentiam *bellaturi*; 5
 primo statim congressu ostendamus, quos sibi Caledonia
 viros seposuerit.

32 'An eandem Romanis in bello virtutem quam in pace
 lasciviam adesse creditis? nostris illi dissensionibus ac dis-
 cordiis clari vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt; 10
 quem contractum ex diversissimis gentibus ut secundae res
 tenent, ita adversae dissolvent: nisi si Gallos et Germanos
 et (pudet dictu) Britannorum plerosque, licet dominationi
 alienae sanguinem commodent, diutius tamen hostis quam
 2 servos, fide et adfectu teneri putatis. metus ac terror sunt 15
 infirma vincla caritatis; quae ubi removeris, qui timere
 desierint, odisse incipient. omnia victoriae incitamenta pro
 nobis sunt: nullae Romanos coniuges accendunt, nulli
 parentes fugam exprobraturi sunt; aut nulla plerisque patria
 3 aut alia est. paucos numero, trepidos ignorantia, caelum 20
 ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circumspectantis,
 clausos quodam modo ac vinctos di nobis tradiderunt. ne
 terreat vanus aspectus et auri fulgor atque argenti, quod
 4 neque tegit neque vulnerat. in ipsa hostium acie invenie-
 mus nostras manus: adgnoscent Britanni suam causam, 25
 recordabuntur Galli priorem libertatem, tam deserent illos
 ceteri Germani quam nuper Usipi reliquerunt. nec quic-
 quam ultra formidinis: vacua castella, senum coloniae,